Pro Copia

Viro praeclarissimo J. H. Matthey Medico et utriusque Chirurgiae apud Antverpienses Professori

Salutem

ACADEMIE NATIONALE DE MEDECINE BIBLIOTHEQUE

Quoniam et muneris ratio, et in Conterraneos pietas te, Vir expertissime, impellant, ut de Veritate eorum, quae circa Vires Lacertarum in Cancris debellandis tanquam indubiae fidei, et nostris in oris comprobata ennunciantur, certior fieres; Commendabili desiderio tuo Obsequentes quae a nobis rei dignitate Commotis, dum in propositum antehac serio inquireremus, Comperta fuere, Candide et breviter aperiemus.

Nemini quod sciamus, hisce in regionibus post revelatam de Lacertis Virtutem in Scripto D^ni Flores Medici Goathematensis in nova hispania, datum fuit, earum usu Cancrum superare; etsi per anni curriculum plurimi Professores huic methodo operam dederint assiduam. Devorabant quidem Aegroti Carnem Lacertarum crudam; nauseâ, sudoribus, ptyalismo, diarrhoeâ Afficiebantur; nulla tamen inde, vel Levis, quandoque in pejus, tumoris aut ulceris Cancrosi mutatio notabatur, quamvis per mensem et ultra iisdem armis malum oppugnaretur.

Cum autem in nonnullis ulceribus antiquis Venereae indolis, et in Crustris psoricis ejusdem fontis hydrargyrosis et aliis Correctivis nullatenus Cedentibus, Lacertarum

ARC 47 n° 52

ingestio tentata fuerit aliquo Successu, non temere
credimus, primos Virtutis anticancrosæ Lacertarum
assertores illa mala cum vero Cancro confudisse;
eoque magis huic opinioni innitimur, quod Dnus
Flores non adfuerit illis Curationibus, sed artis
minus peritorum, et alibi incolentium fidei plus
æquo tribuerit in re adeo gravi. In præsentiarum
oblivioni penitus datæ sunt Lacertæ, saltem,
quantum assequi valemus, si de Cancrorum tractatione
agatur.

ex indicatis facile cognosces eadem nos
premi his in Locis egestate antidotorum ad
virus Cancrosum destruendum, maxime si suo
jure denuo potitum repagula evertit, et acerbiora
minatur, ut in Casu Nobilis Dominæ a te
accuratissime descripto dolenter veremur. Nil
ergo superest, quam recursus ad Lenitiva, quorum
expositioni supersedemus, cum abunde manifesta
ponamus tibi Professori Sapienti, cujus Studiosissi-
-mos nos Profitemur

Dabamus Gadibus die 12 maii 1788

Subscriptum erat } Joseph Selvaresa Regiæ Classis Protomedicus
Vincentius Lubet. Chirurgiæ Professor Regius